

non tamen avertuntur. Procumbunt vero in sordes, qui mortaliter delinquant; longissime enim a cælo et Deo se submovent et avertunt.

V. Cur in medio stetit? Resp. primo, quia etiam media in SS. Trinitate Persona est; secundo, quia Rex Ecclesiæ, qui cupit pari promptitudine omnibus succurrere, doctrinam, amorem, misericordiam, et justitiam impendere; tertio, quia amat habitare in medio hominis, id est, corde ejus. Quidquid illi demus, præter cor, parum vel nihil erit. Cor vero ipsi tradit, qui voluntatem suam ipsi resignat, ipsumque super omnia diligit. Hinc forsitan instituit eucharistiam sub specie cibi et potus, ut viscera nostra ingrediens habitaret, velut rex in medio nostrum. Quarto, quia in omnibus nobis desiderat auream mediocritatem servari quæ nos Deo gratos efficit, quia virtus in medio consistit. Commendat etiam nobis mediocritatem illam a Salomone postulatam: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi; sed tantum victui meo tribue necessaria.* Quam rem pulchre explanat S. Chrysostomus, hom. XIV. de avaritia: « Si quando, inquit, onus est justo gravius, demergit cymbam, rursus cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem usu venit in nostris ædibus. Cum ultra quam usus postulat, congeris pecunias, exigui venti procella, et quivis rerum inexpectatarum incursus demergit cymbam; at si tantum reponas, quantum postulat necessitas, etiamsi vehemens turbo ingruat, facile percurris undas. » Sic ille. Sane postquam Christi discipuli impleverunt naviculas piscibus, pene mergebantur. Idem timeant, qui nimis opibus inhiant. Hinc illa difficultas divitis salvandi: *Quam difficile est divitem intrare in regnum cælorum!*

VI. Quare pacem suis precatus est discipulis? Rep. primo, ut eos consolaretur, et se illis benevolam ac reconciliatam ostenderet. Poterant enim illi ac debebant merito timere, ne ab eo velut desertores vicissim desererentur, ac velut spurii repudiarentur. Hunc ergo timorem ut eis eximeret, pacem eis precari prima iterataque voce voluit. Hujus rei allegoriam legimus, Genes. XLV. ubi Joseph ad principatum Egypti evectus, postquam se manifestavit fratribus, a quibus erat venditus, blande eos consolatus dicebat: *Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Egyptum.* Similiter Christus post resurrectionem suam discipulis, a quibus desertus erat, dicebat: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Luc. XXIV.

Secundo, ut fructum passionis et mortis suæ nobis demonstraret, qui alius non est, nisi pax cum Deo, hominibus et nobis ipsis; quam tri-

plicem pacem trina illa salutatio *pax vobis*, in hodierno evangelio indicare videtur. Sed de hoc alias copiose diximus.

VII. Cur ostendit eis manus et latus? Resp. primo, ut eos resurrectione sua certificaret: siquidem vestigia vulnerum ipsum et non alium esse ostenderent. Voluit Christus agnosci a suis ex signis humilitatis, etiam in gloria sua. At nos ad dignitatem evecti abscondimus, quæ sunt humilitatis, ne agnoscamur et vilipendamus: parum Christo in hoc similes. Secundo, ut pretium redemptionis nostræ nobis in discipulis suis inculcetur; quasi diceret: Videte quanti mihi constiterit ea pax, quam vobis affero?

Tertio, ut doceret nos, non verbis tantum, sed operibus quoque loquendum, et proximum juvandum. Salutem ergo et benedictionem alteri precetur, sed et manum porrigat indigenti: ostendat se habere manus perforatas, id est, liberales. Pacem mutuo precemur, sed et impendamus beneficiis et amore.

VIII. Quare cum insufflatione Spiritum sanctum dedit apostolis? Resp. primo, ut indicaret Spiritum sanctum ad ipso procedere, esseque quodammodo flatum oris sui. Adumbrabat ergo flatus ille Spiritum sanctum qui a Patre et Filio procedit, uti flatus ex utero et ore; unde vocatur spiritus a spirando. Et idcirco in pentecoste Spiritus s. cum vento vehementi datus fuit, cujus pignus erat iste flatus; quia hic ad unum tantum effectum, remissionem scilicet peccatorum, illic ad multos etiam alios effectus dirigebatur. Secundo, ut significaret se eundem esse, qui inspiravit in faciem Adam de limo formati spiraculum vitæ, quo factus est homo in animam viventem, et hunc spiritum eosdem habere in anima effectus, quos alter ille habuit in corpore: adeoque vivificare, et pulchram reddere animam, tribuendo ei motus et sensus ad opera supernaturalia, sicut anima vivificat, et ornat corpus ad opera naturalia patranda.

Tertio, ut adumbraret eo statu potestatem remittendi peccata, quam eo momento apostolis dabat. Ut enim venti flatu nubes toto aere pelluntur; sic flatu Domini, id est, Spiritu s. peccatorum nubes disperguntur, juxta illud Isa. XLIV. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: nubium instar sunt peccata.* Primo, quia sunt tetri vapores e corde ascendentes, quasi ex uliginosa et palustri terra. Secundo, quia Dei aspectum, benevolentiam et beneficentiam adimunt, nosque ab eo separant, sicut nubes dispescunt cælum a terra. Unde epuloni dicitur: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est.* Luc. XVI. Tertio, quia ut ex nube fulmina et tonitrua, sic e peccatis procedunt supplicia et Dei vindicta.

Quare cum confessarius dicit pœnitenti: *Ego te absolvo*, delet illico ejus peccata et exufflat velut nubem, ut nusquam amplius appareant. Hinc Psal. CII. dicitur: *Secundum altitudinem cæli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se, quantum distat ortus ab occidente longe fecit a nobis iniquitates nostras*, q. d. verissime et plenissime ea remisit ac si nunquam commissa fuissent. Hic Domini afflatus similis est vento illi, qui locustas omnibus arripuit et projecit in mare rubrum, Exod. X. Idem enim facit potestas absolvendi, collata sacerdotibus a Christo, juxta prophetiam Michææ, c. VII.

*Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Denique voluit Dominus eo flatu probare se non esse spiritum, sed habere corpus, unde flatus ille prodiret. Utinam hunc in modum elapso pœnitentiæ tempore nobis omnibus dimissa essent peccata nostra, et a nobis remota quantum distat cælum a terra, ortus ab occidente. Quemadmodum etiam cælum et terra, ortus et occasus nulla ratione unquam coire et se mutuo contingere possunt, sic vellem etiam nobis nullum omnino accessum esse ad dimissa peccata; quod nobis largiatur Deus.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### CUR STEMUS AD ORATIONEM TEMPORE PASCHALI.

I. In memoriam beneficii, quo a lapsu erecti sumus. — II. Ob spem futuræ nostræ resurrectionis. — III. Ad consolationem nostram, qua jam videmur stare in Dei gratia. — IV. Ad cautelam nostram, ut quasi excubitores stemus super custodia nostra. — V. Ad incitamentum nostrum, ut jam quæ sursum sunt, quæramus.

#### THEMA.

*Venit Jesus et stetit in medio.* Joan. XX.

Antiquissima consuetudo est, ab ipso apostolorum tempore ad nos derivata, stare ad orationem saltem publicam, tempore paschali, quod inter Christi resurrectionem et pentecosten currit, et in omnibus insuper totius anni dominicis diebus tamquam destinatis Christo resurgenti. Patet ex Justino martyre antiquissimo, qu. CXV. ad orth. et antiquiore Irenæo, qui circa annum Dom. 176. martyr occubuit, discipulus S. Polycarpi, (quem Joan. apost. habuit discipulum :) in I. de pascha, et præcipitur in Concilio Nicæno, 1. can. XXIX. Causam huic cæremoniæ dedisse Christus videtur, qui post resurrectionem non nisi stetisse legitur, præterquam in Emmaus, ubi cum duobus recubuisse scribitur, Luc. XXIV. non electione sed condensatione. Ante passionem quidem varios habuit situs: sedit in monte docens, et ad puteum Jacob: decubuit in navicula ad capiendum somnum; positus genibus orabat in Oliveto, Luc. XXII. ibidem procidit in faciem suam, Matth. XXVI. A resurrectione vero stans dumtaxat scribitur. Jure igitur Ecclesia accommodat se Christo, velut sponsa sponso suo: videtur tamen hoc ipsum facere voluisse permota aliis magnis motibus et rationibus, quas hic discutimus.

I. In memoriam beneficii per Christi resurrectionem accepti, quo a lapsu rursus erecti et Deo reconciliati sumus. Ita in primis respondit S. Just. m. qu. CXV. ad orthod. hac de re proposita, cur nimirum dominicis diebus, et a paschate usque ad pentecosten genua non flectamus precantes. Quoniam, inquit, utrumque sempiterna memoria recolere debemus, et casum nostrum in peccatum, et Christi in nos charitatem, qua ex casu resurreximus: idcirco genuflexio, quam sex diebus adhibemus casum nostrum in peccatum significat, non flectere autem genua dominico die, resurrectionis nostræ significatio est, qua Christi benignitate et a peccatis, et a morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus. Hæc autem consuetudo ab apostolorum temporibus cœpit, quemadmodum ait B. Irenæus martyr et Lugdun. episcopus, in lib. de pascha. » Sic ille. Justissima sane causa; ad tam grande beneficium memoriæ nostræ bene inculcandum. Quo videtur respexisse sponsus, quando Cant. VIII. sponsæ, Christus inquam, Ecclesiæ suæ, ita loquitur: *Sub arbore mala suscitavit te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Eva scilicet qua sub arbore a serpente decepta, et cum progenie sua corrupta fuit, suscitata deinde a Christo, sub arbore crucis. Unde Gullielmus ibi: « Mortua eras, inquit, in peccatis vel innatis vel additis; vivificavi te sub ligno crucis. De corpore meo pendente in ligno, sanguis redemptionis quinque rivis stillavit super te, et ita sub arbore illa suscitavit te; suscitavit autem una secum, quando ipse resurrexerit, teste apostolo ad Ephes. II. *Convivificavit nos in Christo (Deus) et conresuscitavit.* Quid vero petit sponsus pro hoc tanto beneficio? Subdit mox: *Pone me ut signaculum super brachium tuum*, q. d. perpetuam hujus beneficii memoriam et cordi tuo imprime, et brachio, seu externo



alicui memoriali, ut tenacius eam retineas. Hoc ergo ait Ecclesia, dum non solum ore nobis prædicat resurrectionis nostræ beneficium, sed etiam externa stationis cæremonia ob oculos ponit. Moyses postquam fugerat ex Ægypto, ubi mortem ei machinatus erat Pharaon, in Madian, et ibidem se salvavit; ut hujus beneficii memor esset, primum filium suum appellavit *Gersam*, hoc est, *peregrinus illuc*; eo quod peregrinus esset in Madian, et advena: secundum vero *Eliezer*, hoc est, *Dei adiutorium*; quia dixit: *Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis*, Gen. IV. ut quoties aspiceret aut vocaret filios suos, toties memor esset accepti a Deo beneficii. Nos etiam per Christum erepti sumus de manu stygii Pharaonis, et facti cœli advenæ. Justum igitur est, ut hujus beneficii memoriam et mente recolamus et præ oculis habeamus; quod fit per hanc stationem; certe fieri deceret, non ut quasi infantes stemus ad orandum, sed quasi alter Moyses considerata illa cæremonia mentem excitemus ad recolendum beneficium suscitationis nostræ ab inferis et cœlestis nostri municipatus.

II. Ob spem futuræ nostræ resurrectionis et beatitudinis statum, in qua staturus nos speramus coram Deo inter angelos per omnem æternitatem. Situs enim standi magis est connaturalis et conveniens homini, decetque valentem viribus, quales erunt beati omnes, ut docent Maldonatus, Suarez et alii, idque probari potest ex Apoc. VII. ubi Joannes vidit beatos stantes ante thronum, et pluribus aliis locis (sicubi tamen sedere aut recumbere dicuntur,) metaphorice intelligendum est ob eorum majestatem et tranquillitatem, quemadmodum et Daniel, c. VII. vidit angelos coram Deo assistentes, et S. Stephanus Christum ipsum stantem a dextris Dei, Actor VII. qui etiam propterea post resurrectionem suam, velut jam constitutus in statu beatitudinis, stetisse solum legitur, ut advertit Salmeron, tr. de resurrectione. Ratio est primo, quia nunquam sentientes ullam lassitudinem, debilitatem aut gravedinem corporis, quæ sedere aut jacere eos compellat, quemadmodum in terra nos mortales compellit, sed erunt semper sani, valentes, agiles atque hilares: nullus ibi languor, tædium aut somnus, sed perpetua jucunditas. Secundo, quia tanta cœlestium gaudiorum et spectaculorum suavitas erit, ut ea quasi absorpti semper stare et assurgere ad ea intuenda videantur: quomodo et nos experimur spectatores in comædiis, cum quid mirificum producitur, assurgere et stando spectare; nullo pene tædio aut defatigatione. Ita enim: *Beati desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur, et satiantur sine fus-*

*tidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur*, inquit S. Greg. I. XVIII. mor. c. XXVIII. Hoc indicatum Exod. XXXIII. v. XI. quando Moyses loquebatur cum Deo de facie ad faciem, et tamen interim faciem ejus videre cupiebat, vers. XIII. dicens: *Ostende mihi faciem tuam*. Ubi idem Greg. « Moyses, qui facie ad faciem Deum videre dicitur, et ejus faciem ad videndum postulare, quid rectius designat, quam electorum perfectionem, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsum lucis veritatem pertingere cupiunt? Ista quidem cognitio lucis electorum desideria satiare non novit, sed excitare: illa vero et satiare et excitare. Nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur, et tam plana, ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur. »

III. Ad consolationem nostram, dum jam o peccatorum sepulcro per Christum et cum ipso resuscitati et in pedes erecti, bene speramus stare nos in Dei gratia, Deo reconciliatos atque amicos factos, qui prius velut rei capitis ad ejus pedes prostrati jacebamus. Quam etiam ob causam, ab ipso Christo insinuatam, Matth. IX. *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Nulla jam jejunia suscipimus, et pro mœnore quadragesimali cantica lætitiæ depromimus. Quemadmodum enim Christus prius quidem onere peccatorum nostrorum in se suscepto in terram depressus fuit, ut orans in Oliveto proccideret in faciem, deinde bajulans crucem sæpius corrueret: ubi vero resurrexit, quasi depositus jam onere nonnisi stare visus est: ita suo modo etiam illi, qui peccatorum sarcinas per has ferias abjecerunt, decet jam non sedere vel jacere, sed cum Christo stare. Unde apostolus ad Rom. V. ait: *Justificati ex fide, etc. per Christum accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus*. Advertit S. Hieronymus, in Ezech. c. II. nullum peccatorem in Scripturis stantem legi, sed vel jacentes omnes, aut sedentes, quasi terræ affixos adeoque terreos et lutosos. Qui assurgunt et stant, cœlo viciniore; remotiores, qui jacent aut sedent. Atqui isti, qui stant per gratiam, cœlesti patriæ sunt vicini: peccatores vero qui in sordibus jacent aut in cathedra pestilentiæ sedent, procul inde absunt. Nos ergo quia Deo reconciliati in gratia ejus stamus, merito hoc beneficium statione corporis recolimus et celebramus. Claudus ille ex utero matris erectus a S. Petro, præ gaudio subinde exiliebat, stabat et ambulabat, quasi non caperet seipsum lætitiâ, laudans Deum, Act. III. Quot millia Christianorum hæc tempore erecta sunt a fœda animi curvitate, qua terræ in peccatis adhæserant? Jure igitur exurgunt, imo

exiliunt præ gaudio, stantque laudantes Deum. Eunuchus ille Candacis reginæ, cum se baptizatum adeoque in Christo renatum vidit, *ibat per suam viam gaudens*, de tanta nimirum sibi a Deo collata gratia, Act. III. Nihil minus est, quod acceperunt illi qui per istos dies Deo reconciliati sunt. Merito proinde gaudent ac reliquum iter vitæ suæ peragunt in lætitiâ. Quo gaudio perfusum existimamus pincernam Pharaonis, quando juxta prædictionem Josephi dignitati suæ pristinæ restitutus est, qui paulo ante in carcere suspendium metuebat? Gen. XL. Quo Naamanem illum Syrum principem, cum vidit lepram suam beneficio Jordanis adeo abstersam, ut sanissimus et purissimus inde discederet? IV. Reg. V. Atqui multo majus est, quod per pœnitentiam consecuti nuper sunt quicumque peccatores; nam et a lepra peccati sanati, et rursus Dei gratiæ, in qua olim steterant, restituti sunt.

IV. Ad cautelam nostram, ut quasi excubitores arcem cordis nostri custodiamus, ne redeunt cum majoribus copiis adversario eam iterum perdamus. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*, ait apostol. I. Cor. X. Et ad Eph. VI. *State ergo succincti lumbos vestros*. Rursum ad Phil. IV. *State ergo in Domino charissimi*. Turpe erat Romanis militibus stationem suam deserere in pugna: quare sacramento militari ad hoc se astringebant, nunquam se locum deserturos, teste Alexandro ab Alex. I. I. c. dier. gen. XX. Hinc milites Catilinæ occubuisse in ipso vestigio, quo consistebant, scribit Salustius. Christus qui quidem Dominus morte jam superata nulla hæc ex parte standi causam habuit, qui mori amplius non poterat; at habemus nos multo maximam, quos ut in pugnis adjuvaret stare etiam voluit, et reipsa ostendit in certamine, S. Steph. Unde S. Cyprianus, lib. I. ep. V. scribit: « Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis, adhuc in sacculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. » De M. Varrone consule Rom. scribit Frontinus, lib. IV. c. V. et ex Eutropio B. Petrus Damianus, ep. VIII. ad archiepisc. Bisuntinum, lib. III. epist. quod ut ubi apud Cannas cum Hannibale congressus perdidit victoriam, nunquam deinceps ad vitæ suæ terminum recumbans cibum sumpserit sed stando semper: ut qui aliquid desidie vestigium reliquerat, perpetuo ejusdem desidie supplicio se subiceret cautiorque fieret. *Quod si hoc faciunt ethnici, subdit Damianus, ut famæ suæ nomen extendant, quid agendum est Christianis: ut in cœlesti sibi gloria sedes acquirant? In prioribus*

nostris conflictibus cum carne, mundo, demone, habitis, sæpe cladem accepimus, quia non vigilavimus: ergo vel non icti stemus in custodia. Male cessit Heli summo sacerdoti sessio, dum Hebræi cum Philisthæis de summa rerum dimicant, quando ipse, Moyses instar, potius elevatis orare brachiis pro victoria debebat; unde intellecta suorum clade retrorsum de sella cecidit et cervices fregit: sedens punitus, qui ad orationem, et vigiliis stare potius debebat, I. Regum IV. Male et Baltasari, quando sedit in convivio, dum hostis urbem obsidens jamjam irruptionem parabat, unde et gladio hostis eadem nocte occisus est, Dan. V. Male et Zebæ et Salmanæ regibus eorumque exercitibus cum super eos Gedeon, secure agentes irruit, Judic. VIII. Male Amalecitis, qui cum præda sua *discumbebant super faciem universæ terræ comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem, percussit enim eos David a vespere ad vesperam alterius diei*, I. Reg. XXX. Omnes isti, qui non steterunt velut excubitores, misere perierunt. Egimus et nos prædas ex peracta nuper pœnitentiâ, sed hoc ipso nobis vigilandum est: quia novimus piratas non insidiari nisi opulentis et onustis navibus. Ad hoc insinuandum solebat olim Ecclesia neophytis, qui hodierna die vestem candidam in baptismo acceptam deponabant, dare agnum Dei ex cereo paschali confectum, et a summo pontifice benedictum, ut collo eum suspenderent et velut clypeum gererent conservandæ puritati atque innocentie agnæ: memores illius agni, Christi, cujus militie nomen dederant et fidem sponderant, ut notat Baronius, anno quinquagesimo

V. Ut ad incitandum nostrum, ut quantum possumus, una cum erecto corpore et mentem erigamus ad cœlestia, et avocemus a terrenis, quasi post quadraginta dies, seu brevissimum tempus ascensionem nostram in cœlum adornaturi. Eo certe nos transmittit apostolus ad Coloss. III. scribens: *Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, q. d. si consurrexistis cum Christo, cum eodem sursum ad cœlum pergite, neque hic in terra domicilium vobis struite. Sic enim et ipse ab inferis resurgens, nonnisi instar hospitis in terram divertit, et per paucos dies velut peregrinus (quo nomine eum compellant duo illi discipuli, Luc. XXIV.) in ea commoratus est, rarus quoque apparuit cum mortalibus conversans; sed ut plurimum cum patribus e limbo ereptis: ad hæc eo tempore nonnisi de regno Dei, et de suo ad Patrem itinere locutus: nullum sibi jam in terra domicilium conduxit, nullam suppellectilem comparavit aut quæsit, quia



ad cœlum tendebat. Nos ergo pari modo quæ sursum sunt quæramus; de cœlo sermocinemur, neque hic in terra velut incolæ habitemus, sed ut advenæ et peregrini ad patriam contendamus. Ad hoc indicandum stamus ad orandum, quo cœlo viciniore, cœlestia meditemur, terrena despiciamus, Luc. c. XIII. Vidit Christus mulierem adeo incurvam et ad terram inclinatam, ut sursum omnino respicere nequiret: sic nimirum ligatam a maligno spiritu, uti postea edixit. Hanc igitur ad se vocavit et manibus impositis erexit; quo facto illa mox glorificavit Deum. Typus animæ peccatricis est hæc mulier, quam dæmon ita ligavit, ut non nisi in terram posset aspiciere et terrena quærere: solvit eam Dominus quando manibus in cruce extensis a vinculo Satanae eripuit: erexit quando una secum conresuscitavit, ut quæ jam sursum sunt, non quæ in terra, quærat. Sed cur Dominus non rogatus sponte sua vocat et sanat hanc mulierem? An quia mulier tunc in synagoga erat (uti ex seq. colligitur) in qua non terrena sed cœlestia aspicienda et contemplanda sunt? Sicut ergo proni in terram ethnici, sint Judæi, sint hæretici: certe qui in Christi Ecclesia sunt tales esse non debent, quibus quotidie in sancta missa occinitur: *Sursum corda*, ipsique respondent: *Habemus ad Dominum*. Quid enim agimus nos in Ecclesia militante, nisi ut pugnando contendamus ad triumphantem? Navem esse scimus Ecclesiam ad cœlum tendentem, teste Sancto Clemente, epistola prima ad Jacobum fratrem Domini, cum ait: « Similis est Ecclesiae status navi magnæ, quæ per undosum pelagus de diversis locis et regionibus viros portat ad unam potentis regis urbem properare cupientes; » designatam per arcam Noe, quæ ad extremum requievit super excelsos montes Armeniæ, Gen. VIII. Ad quid ergo in terra habitacula ædificamus, qui in cœlum navigamus? Verum dicet aliquis vivere nos in terra et vivere de terra; quomodo igitur non quærenda sunt terrena? Respondeo: Ecclesiam navi, ut dixi, similem esse. Navis autem superne, qua cœlum spectat, ampla est: inferne, qua fundum, angusta. Hunc in modum fideles cor suum dilatent versus cœlestia: coarctent versus terrena: illa magna sollicitudine, hæc parva inquirent: illa secundum se et primario, hæc vero secundario et in ordine ad cœlestia; sic induent et ista rationem operum cœlestium, si cœlo famulentur: hæc cum modo et moderamine, illa sine modo.

Hæc vellem, auditores, a vobis considerari, eum hoc tempore et deinceps singulis dominicis diebus ad orandum statis; si enim fieret, ut hæc statio non mera cæremonia, sed præclarum etiam pietatis incitamentum et exercitium

fieret, vobis denique in cœlo magnam remunerationem pareret.

## CONCIO II.

CUR INSUFFLAVIT IN DISCIPULOS DOMINUS.

- I. Ut hoc afflatu conferret eis Spiritum sanctum —
- II. Ut eo symbolo potestatem absolvendi eis daret.
- III. Ut hoc afflatu confirmaret suam resurrectionem. — IV. Ut spem resurrectionis secundum carnem omnium communis, firmaret in nobis.

### THEMA.

*Insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.*  
Joan. XX.

Solemus, nescio quo dictamine, cum infantes forte cadunt, et membrum aliquid parumper affligunt, in id insufflare, quasi solo oris halitu dolorem abstersuri vel certe mitigaturi. Erant Christi discipuli, ante Christi resurrectionem, quasi parvuli et infantes, parum adhuc firmati in fide et virtutibus; unde cum vidissent capi et occidi magistrum suum, omnes prolapsi sunt in diffidentiam et pusillanimitatem, quasi jam actum esset de ipsis. Vidit hoc piissimus Dominus, proinde in mœrore congregatis et inclusis postquam resurrexit, apparuit et quasi dolorem abstersurus, in eos insufflavit, et quidem efficaci ac saluberrimo halitu, plusquam humano. Qua de re videtur vaticinatus esse Nahum, c. 1. cum ait: *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Celebra Juda festivitates tuas et redde vota tua: quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial, universus interit.* Quæ sic vertunt Septuaginta: *Ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* Quis sit ille evangelizans pacem ex hodierno evangelio intelligimus; Christus, inquam, Dominus, pacem suis precatus in monte Sion. Idem ipse est *insufflans*, qui ascendit e terra sepulcri et eruit suos e mœrore et tribulatione. Quare S. Cyrillus eum locum ita explicat: « Quomodo, inquit, usu acceptum erat quibusdam vestes dirumpere, cum blasphemasset quispiam: sic etiam insufflare in facies ægrotantium quocumque modo. Et hoc præsertim et insolentissime faciebant, qui adjurare consueverunt et curiosis incantationibus a spiritibus et doloribus male habentes, se liberare simulabant. Exemplo igitur e consuetudine ipsorum petito ait: « Ascendit insufflans in faciem tuam. » Et mox: « Ascendit, namque ab inferis et revixit Christus, qui insufflavit in faciem ss. apostolorum et dixit. Accipite Spiritum sanctum. Ita enim omni malo expediti sumus et participes facti Sancti Spiritus, in pristinum naturæ decus quasi ab ipsis elementis reformamur. » Ita Cyrill. Similiter S. Hier. in

eum locum: « Venit tibi, Christus, qui post resurrectionem insufflans in faciem apostolorum ait: Accipite Spiritum sanctum, ipse est qui te liberat de tribulatione. » Porro deprehendo quatuor ægritudines, quibus eo tempore laborant Christi discipuli et cum eis prima Ecclesia, quas hoc flatu Dominus potenter abstersit et sanavit, uti audiemus.

I. *Ægritudo et tribulatio prima erat defectus Spiritus sancti qui discipulorum corda consolaretur ac roboraret.* Hunc per afflatum illum contulit eis Dominus non ita copiose et perfecte cum omnibus ejus donis, nec ita manifeste et publice, sicut postea in pentecoste; sed cum potestate absolvendi, et clam ac privatim. Multum istud erat: ita enim confirmabat discipulorum animos, ut adventum Spiritus sancti publicum facile præstolari, et interim in oratione piisque operibus perseverare etiam inclusi possent. Simili quadam ratione datur Spiritus sanctus etiam baptizatis, quemadmodum et unctio quædam s. chrismatis: sed non cum ea plenitudine, nec ad illum effectum, quo modo post baptismum datur ab episcopo in sacra confirmatione. Itaque insufflatio illa Christi signum et quidam prodromus Spiritus sancti erat; primo, quia halitus qui ab ore procedit, ejusdem naturæ cum illo, qui in pectore insufflantis manet: ita Spiritus sanctus eandem plane naturam eandemque divinitatem habet, quam habent, qui eum spirant, Pater et Filius. Deinde, sicut flatus ab ore flantis procedit; ita Spiritus sanctus procedit a Filio (uti et a Patre) quod negarunt olim Græci, sed perfide et hæretice. Tertio, uti halitus, qui ex ore exsufflatur, sub aspectum non cadit, operatur tamen effectus, qui in oculis incurrunt: extinguit et accendit lumen, refrigerat et calefacit cibum et manus, pellit et pulveres, gyrat rotulas, etc. ita Spiritus sanctus latet in homine, nec videtur: mira tamen interim in eo operatur et per dona sua se prodit. Prodit etiam in ipsa, quam gubernat, Ecclesia, confirmando martyres; ut ad quævis tormenta et mille mortes intrepidi atque infracti sint. Prodit in pastoribus et prælatis, qui præsertim primi cujusque Ecclesiae, episcopatus, prælaturæ, abbatia adeoque pene omnes sancti fuerunt, velut lapides fundamentales, solidi et perfecti ad stabilendum ædificium a Spiritu sancto positi. Prodit in doctoribus, quos ex omni natione, in omni genere doctrinæ, insigni sanctitate præditos providit Ecclesiae. Prodit in eremitis, monachis et religiosis aliis, quibus undique orbem circumvallavit. Prodit in Deo dicatis virginibus, quibus tot monasteria, non domos multas in mundo implevit. Prodit in piis conjugibus, qui non modo in sanctitate, sed quandoque in

virginitate et continentia statum illum transigunt. Prodit in ædibus sacris, augustissimis, et ornatissimis, toto orbe sine numero diffusis. In episcopatibus, prælaturis, monasteriis, canonicatibus, parochiis liberaliter dotatis; in academiis et scholis undique erectis et florentibus: in tot passim hospitalibus, leprosoriis, orphanotrophiis, in ordinibus militaribus pro Ecclesiae defensione fundatis: in ss. Conciliis et canonicis patrumque decretis saluberrimis, in piis et doctissimis libris pene infinitis: in sanctorum gestis plane admirandis et omni laude dignis. Taceo alia innumera. Quarto, sicut nihil homini facilius est, quam halitum expirare, aut in aliquem insufflare: ita ad communicandum Spiritum s. Deus est promptissimus, ubi dispositum reperit subjectum.

II. *Ægritudo altera erat defectus medicinæ et medicorum pro sanandis animæ vulneribus, hoc est sacramenti pœnitentiæ et potestas judiciaria ad remittenda peccata.* Hanc igitur conferre apostolis voluit adhibita insufflatione, quasi signo externo potestatis illius, eoque percommodo. Nam inflatus monstrat causam efficientem absolutionis sacramentalis: principalem quidem Christum, qui ut dicitur, Thren. IV. §. XXX. *Sit spiritus oris nostri, q. d. vita et respiratio nostra; ministerialem vero sacerdotem, qui est quasi os Christi pronuntians verba absolutionis, juxta id Jer. XLV. §. XIX. Si separaveris pretiosum a vili (h. e. ut in Hebræo explicatur, si educas hominum animas pretiosas ab impietate) quasi os meum eris, q. d. conjunctissimus et simillimus. Nam ut S. Chrys. orat. V. contra Judæos ait: Os eorum, qui proximos convertunt, est quasi os Dei.*

Secundo, monstrat effectum potestatis illius et pœnitentiæ, quæ est remissio peccatorum. Ut enim Deus inspirando in primum hominem spiraculum vitæ animam et vitam impertivit: ita et sacerdos absolvendo pœnitentem, gratiam ei confert, quæ est vita animæ. Hoc indicasse Christi insufflationem sentit D. Basilius, in lib. de Spiritu s. c. XVI « Dominus enim, inquit, qui renovabat hominem, eique reddebat gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiserat, inspiravit in faciem discipulorum, quibus ait: Accipite Spiritum sanctum. » Flatu extinguius ignem, delemus et depellimus fumum: ita potestas clavium delet peccata. Unde Isa XLIV. ait: *Dominus delevit ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Atra quædam nubes est peccatum quæ conspectum et calorem solis illius justitiæ nobis aufert, Dei, inquam, gratiam. Eam nubem delet flatus ille, ex ore sacerdotis prodiens et absolvens. Porro sicut flatu et accendere possumus ignem, et extinguere: ita et sacerdos potestate clavium, et solvere potest et